

& singuli ex ipsis converterentur, idque *absolute & irresistibiliter*, ita ut nemo ex ipsis periret, quae ἀτοκᾶ sponte exurgentia sententiae illius debilitatem declarant ac ostendunt, reliquias Judaeorum de omnibus illis exponendas esse, quotquot unquam ad Christum conversi sunt, aut hodie quoque, & impofterum, convertentur.

XXIV.

Caeterum liquere sic existimamus totum hoc arduum alioqui negotium, ut ex collatione Interpretum singulorum, (quae commodius Lectoris studio quam hac brevitate pagellarum perficitur,) cuivis experimento constabit. Si quae supersint, ad dilucidationem argumenti, alibi exponentur. Deum postremo rogamus, ut ecclesiam suam, ad quam non solum omnes in universum homines benignissime vocat, verum etiam colligit reliquias & servat, tueatur clementer, vulnera inflicta ac fissuras sanet & redintegret, animosque omnium & singulorum illustret, ut veritatem invictam nobiscum ore animoque profiteantur, nec humani ingenii computo nimium fidentes, in divinum salutis ordinem sint injurii: sed cedant tandem ac rationem captivatam subjiciant doctrinae coelesti: meminerintque nihil esse ea felicitate majus, qua certitudinem fidei possidemus, & in ea manemus ita, ut habeamus fiduciam, nec sub adventum ejus erubescendi causas sentiamus.

1. Job. 11, 27.

F I N I S.

CON-